

5. 849 i Mars.

Påfv. LEO IV:s Bulla i samma ämne.

LEO Episcopus, servus servorum Dei, Anschario sanctæ Hammaburgensis Ecclesiæ Archiepiscopo, æternæ vitæ beatitudinem Quoniam Apostolicæ dignitatis est, non solum Ecclesias fundare, sed & ab aliis Ecclesiarum spiritualibus architectis fundatas sublimare, dignum duximus, frater charissime, pio petitionis tuæ voto aures debitæ benignitatis tuæ inclinare. Concedimus igitur tibi, sicut a prædecessore nostro beato Gregorio concessum est, scilicet ut gentes Wimodiorum, Norblingorum, Danorum, Norvenorum, Svenorum vel quascunqve septentrionalium nationum jugo fidei prædicatione tua subdideris.

Quæ sequuntur verbotenus correspondent Bullæ Sergii usque ad verba:

Ecclesiæ Hammaburgensi satisfaciat. Data per manum Stephani Cancellarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ mense Martio Indictione XII.

6. 858 d. 31 Maj.

Påfv. NICOLAUS I:s Bulla om förening af Hamburgs och Brehmens särskilta stift till ett, hvarvid Årke-Biskops titeln alltid åtföljer Hamburg, och är dess innehafvare tillika Årke-Biskop öfver Sverige, Danmark och öfriga Norden.

NICOLAUS Episcopus, servus servorum Dei, omnibus fidelibus sancte Dei Ecclesiæ præsentis scilicet temporis et futuri ⁵⁵⁾ salutem et Apostolicam benedictionem. Quisquis Dominum et Redemptorem nostrum Jesum Christum de sinu Patris, ad terram, pro demonstranda cordibus hominum vera & certa fide descendisse non dubitat, profecto non ignorat, omnes, qui ejusdem fidei per gratiam ipsius participes facti sunt & precipue Nos, qui per primum tante virtutis Ministrum locum precipuum tenemus ⁵⁶⁾ hominibus debere lucrandis insistere & per universas gentes verbi semina serere & solatio *) serentibus ministrare. Nunc autem, quia Ludovicus sublimissimus Rex per Salomonem venerabilem Episcopum Civitatis Constantie nostro studuit Apostolatu intimare, quod pie memorie Ludovicus Imperator genitor suus, quendam Monachum, nomine Anscharium de monasterio Corbeja tulisset & collocasset eum juxta Albiam fluvium in confinibus Danorum & Slavorum, Saxo-

55) Desunt alibi. 56) retinemus. *) solatia.

numque ⁵⁷⁾ in castello Hammaburg inter duos Episcopatus Bremon ⁵⁸⁾ & Verden ⁵⁹⁾, de quibus tollens Ecclesias & decimas ad sustentationem provehendi caussa præfati ⁶⁰⁾ Episcopi Clericorumque ejus condonasset in predicto loco annuente, ac solemnia sedis Apostolicæ privilegia prebente predecessore nostro beate memorie Papa Gregorio, cujus etiam auctoritate in supradicto Nordalbingorum populo sedes constituta est Archiepiscopalis in castello superius memorato Hammaburg; & in eadem quoque sede Archiepiscopus, accepto a sede Apostolica pallio, primus est ordinatus Ansgarius, cui a præfato Pontifice delegata est cura seminandi verbum Dei & animas lucrandi Deo, cujus delegationis & auctoritatis & Pallii acceptionis pagina nobis est a præfato filio nostro Ludovico Rege per jam dictum Salomonem sanctissimum Episcopum destinata, juxta morem sancte Romane Ecclesie ebullata; per cujus tenorem pagine hec ita fuisse comperimus, sicut pietas nobis jam præfati Regis per fidelem virum Salomonem scilicet Episcopum intimavit. Unde nos vestigia tanti Pontificis & Prædecessoris nostri sequentes Gregorii, omnemque ibi ⁶¹⁾ Deo dignam statutam providentiam agnoscentes, magnorum Principum votum, Ludovici videlicet dive recordationis Augusti, & equivoci ejus filii excellentissimi Regis, tam hujus Apostolicæ auctoritatis precepto, quam etiam Pallii datione, more Predecessorum nostrorum ⁶²⁾ roborare decrevimus. Quatenus tanta fundatus auctoritate prenominate Ansgarius, primus Nordalbingorum Episcopus, & post ipsum successores ejus lucrandis plebibus insistentes, adversus tentamenta diaboli validiores existant; ipsumque filium nostrum jam dictum Ansgarium ⁶³⁾ in omnibus circumquaque Gentibus Sueorum ⁶⁴⁾ sive Danorum, nec non etiam Slavorum vel in ceteris, ubicunque illis in partibus constitutis divina pietas ostium aperuerit, publicam Evangelizandi tribuimus potestatem & ⁶⁵⁾ auctoritatem, ipsamque sedem Nordalbingorum Hammaburg dictam, in honorem sancti salvatoris ejusque ⁶⁶⁾ intemerate genetricis, semper virginis, Marie consecratam, Archiepiscopalem decernimus deinceps esse ⁶⁷⁾. Atque, ut strenui prædicatoris Episcopi post decessum ⁶⁸⁾ crebro dicti Ansgarii Archiepiscopi, persona, tantoque officio apta eligatur semper successio, sub divini judicii obtestatione statuimus. Verum, quia Karolus Rex, sæpe dicti Regis frater ⁶⁹⁾ post decessum ⁷⁰⁾ Imperatoris, patris sui, pie memorie Ludovici I. abstulit a prenominate ⁷¹⁾ loco, qui dicitur Hammaburg Monasterium, quod appellatur Turholt, utpote quod post partitionem inter fratres suos, in Regno suo conjacere videbatur, situm in Occidentali Francia, quod illic genitor suus ad supplementum & victum Episcopo

57) & Saxonum. 58) Bremen. 59) Verde. 60) provehendi jam fati. 61) ibidem. 62) *deest* nostrorum. 63) Legatum. 64) Sueonum. 65) *deest* potestatem &. 66) sanctæque ejus. 67) deinceps esse decernimus. 68) discessum 69) frater sæpe dicti Regis Ludowici. 70) discessum. 71) præfato.

& Clericis ejus dederat; cœpere, sicut fertur, omnes Ministri altaris recedere, deficientibus quippe necessariis sumtibus, ab ipsis recesserunt gentibus, & eadem ad Gentes Legatio, per hujusmodi factum defecit, ipsaque Metropolis Hammaburg 72) deserta facta est. Igitur dum hæc agerentur mortuus est Diœceseos 73) Episcopus, quæ huic contigua esse dicitur: cumque sepe dictus Rex & hanc Diœcesin vacantem & illam novellam constitutionem cerneret 74) deficientem, insuper utramque 75) hanc Ecclesiam, Dei permitente occulto judicio, per barbarorum sevitiâ admodum attenuatam, querere cepit, qualiter predicta Bremensis Ecclesia, novelle dicte Archiepiscopali 76) uniretur, ac subderetur sedi, nostro hoc votum roborante decreto: unde per sepe 77) nominatum venerabilem 78) Missum, Salomonem videlicet Constantie civitatis Episcopum, nobis hoc relatam est 79) confirmandum ac postulatum est nostra auctoritate roborandum. Nos igitur subtili perpendentes examine animadvertimus 80) propter instantem necessitatem & animarum lucra in gentibus demonstrata, utile fore. Omnia 81), quæ proficua Ecclesie probantur existere, & divinis non resultant preceptionibus licita & facienda esse non dubitavimus 82) maxime in tam novelle Christianitatis plantatione, in qua varii eventus solent contingere. Quamobrem auctoritate 83) omnipotentis Dei, & beatorum Apostolorum Petri et Pauli, & hoc nostro decreto, decrevimus 84) secundum Reverendissimi Regis 85) Ludovici votum, ipsas predictas diœceses Hammaburgensem, Bremensem scilicet, & 86) non deinceps duam sed unam esse & vocari, subdique sedi, que predecessoris nostri decreto Archiepiscopali est munere sublimata, restituta duntaxat de Bremensis Ecclesie rebus Episcopatu Werdensi parte inde 87) ablata. Nullus vero Archiepiscopus Coloniensis ullam 88) sibi deinceps in eadem diœcesi vindicet potestatem 89). Quinimo & ipsi 90) & omnibus omnino suademus vere religionis cultoribus, ut sacra hac legatione fungentibus adjutorio & solatio sint, quatenus gratia hujus beneficii plenam mercedem recipere mereantur ab eo, qui dixit: *Ite, docete omnes gentes, & quicumque receperit vos, me recipit.* Itaque omnia a dilecto filio nostro Rege *) Ludovico ad hoc Deo dignum officium deputata, nostra etiam, pia ejus vota, auctoritate firmamus. Et quia casus præteritorum cautos nos faciunt in futurum, omnem quoque adversantem vel contradicentem atque 91) nostris his studiis quolibet modo **) insidiantem, anathematis mucrone percutimus, atque perpetue ultionis reum diabolica sorte damnamus: ut culmen Apostolicum more prædecessorum nostrorum, causamque Dei pio 92)

72) pene deserta. 73) *addunt alii* Bremensis; *deest in aliis etiam* voc. diœces. 74) *Deest* cerneret. 75) & utramque. 76) prædictæ quoque novelle Archiepiscopali. 77) *persæpe*. 78) *deest* venerabilem. 79) *deest* nobis hoc relatam est. 80) *animo* advertimus. 81) Omnia enim. 82) *dubitam*. 83) *deest* auctoritate. 84) *decernimus*. 85) *deest* Regis. 86) & Bremensem scilicet. 87) ante ablata. 88) *illam*. 89) auctoritatem. 90) *ipsis*. *) *deest*. 91) *piis* nostris. **) *quomodolibet*. 92) *pro, perperam*.

affectu zelantes, ab adversis hinc inde partibus tutius muniamus. Et quia te, charissime fili Ansgari, divina clementia nova in sede primum disposuit esse Archiepiscopum, nosque pallium tibi, ad missarum solennia celebranda, tribuimus, quod tibi in diebus tuis, uti & Ecclesiæ tuæ perpetuo statu manentibus privilegiis, uti largimur, Idcirco ⁹³⁾ hujus indumenti honor morum vivacitate *) servandus est. Si ergo pastores ovium, sole geluque pro gregis sui custodia, ne qua ex eis aut errando pereat, aut ferinis lanianda morsibus rapiatur ⁹⁴⁾, oculis semper vigilantibus circumspectans, quanto sudore quantaque cura debeamus esse pervigiles nos, qui Pastores animarum dicimur, attendamus & ne susceptum officium in terrenis negotiis aliquanto implicare debeas ⁹⁵⁾ admonemus. Vita itaque tua filiis tuis sit via, in ipsa, si qua tortitudo ⁹⁶⁾ illis inest, dirigant: in ea, quod imitentur, adspiciant, in ipsa semper ⁹⁷⁾ considerando, proficiant, ut tuum post Deum videatur bonum, quod vixerint. Cor ergo tuum neque prospera, que temporaliter blandiuntur, extollant, neque adversa dejiciant: districtum mali cognoscant, pium benevoli sciant, insontem apud te inculpabilem malitia aliena non faciat, reum gratia non excuset, viduis ac pupillis injuste oppressis defensio tua subveniat. Ecce, frater charissime, inter multa alia ista sunt sacerdotii, ista sunt pallii, que si studiose servaveris, quod foris accepisse ostenderis, intus habebis. Veruntamen **) ista omnia superius annexa ab Apostolica sede Beatitudini tue indulta cognosce ⁹⁸⁾, si a fide & decretis sancte Catholice & Apostolice Romane Ecclesie in nullo penitus deviaveris ⁹⁹⁾. Quod si a fide & institutis aut sanctionibus te tanto sublimitatis ¹⁰⁰⁾ honore sedis Apostolice declinare studiose presumseris, his nostris tibi collatis careas beneficiis. Porro te pallio uti, non nisi more sedis concedimus Apostolice, scilicet, ut successores tui, per semetipsos vel per Legatos suos & scriptum ¹⁾, fidem nobiscum tenere, ac sanctas sex Synodos recipere, atque decreta omnium Romane sedis Presulum, & epistolas, que sibi delata fuerint, venerabiliter observare atque perficere omnibus diebus suis scripto se & juramento profiteatur. Scriptum per manum Zacharie ²⁾ Notarii Sancte Romane Ecclesie, in mense majo, indictione VI ³⁾. Bene valete. Date pridie Calendas Junii per manum Tiberii Primicerii sancte sedis Apostolice ⁴⁾.

⁹³⁾ Quo circa. *) venerabilitate. ⁹⁴⁾ deest rapiatur. ⁹⁵⁾ debeamus. ⁹⁶⁾ fortitudo. ⁹⁷⁾ se semper. **) Ita. ⁹⁸⁾ agnosce. ⁹⁹⁾ declines, ¹⁰⁰⁾ sublimanti. ¹⁾ deest scriptum. ²⁾ Zacharie Notarii, Regionarii & Scriniarii. ³⁾ alias XI. XII. sed ita corrigit Lambecius II. MSS. Cod. Bibl. Joh. ⁴⁾ imperante Domino piissimo Augusto Ludovico a Deo coronato magno imperatore, anno quinto decimo, indictione Duodecima, addunt alii.